

† Adm. R. P. Ioannes Ev. Hosey (1893-1954)

(Prov. Baltim.)

P. Ioa. Hosey, Rector communitatis Bostoniensis ad Matris de Perp. Succ., die 20 Ian. 1954, sexagesimum primum annum agens, subitanea morte obiit. Neo-Eboraci fuerat, et cum post coenam una cum confratribus domus S. Alfonsi sump-tam aliquot veteres amicos in Forest Hill visitaret, repentina syncope cardiaca correptus est. Illico sacerdos et medicus arcessebantur, sed antequam advenissent, ultimum spiritum emiserat. Absolutio sacramentalis et Extrema Unctio sub conditione ei ministrabantur.

P. Hosey natus erat Neo-Eboraci in paroecia S. Antonii die 3 Iulii 1893. Die festo S. P. N. anni 1913 in Ilchester votis Deo sese obstrinxit, et die 17 Maii 1918 in Esopus Presbyteratus Ordine donatus est. Secundo tirocinio Annapoli peracto, per breve tempus domibus Brooklyn et Boston adscriptus, a. 1922 in insulam Puerto Rico missus est. Duodecim sequentibus annis incolis illius regio-



nis carissimum sese reddidit moribus suis comibus, singulari affabilitate, perfecto linguae hispanicae usu. In urbe Miranda servitio paroeciali addictus, Sororibus Scholaribus a Nostra Domina domum exstruxit.

A. 1934 in continentem reversus, fuit sex annos Rector communitalis West Tampa, ubi domum et ecclesiam aedificavit (1) et alteram ecclesiam in Ybor City. Postquam unum modo annum munus Rectoris in Ephrata exercuit, Neo-Eboraci duo triennia communitati ad S. Caeciliae praefuit. Deinde Rector Annapolitanus nominatus, ibi novam scholam paroecialem superiorem exaedificavit. Cum ab anno 1947 usque ad annum 1950 Bostonii officio missionarii fungeretur, extraordinariam Prov. Torontinae visitationem facere iussus est. A. 1950 communitati Bostoniensi praefectus, renovationem et ornatum vastae ecclesiae fortissime aggressus est (2) et nocturnam SS.mi Sacramenti adorationem atque mensuum recollectionis diem paroecianorum instituit.

P. Hosey fraternae caritatis, benignitatis, humanitatis specimina haud communia dedit. Semper eius porta unicuique patebat, qui intrare et de suis difficultatibus et curis colloqui cupiebat. Alterum eius insigne fuit generosa magnanimitas; sic penuriae, quae primo tempore domum West Tampa premebat, nullam rationem habens, cum de ecclesiae et confratrum necessitatibus agebatur, nulli illiberalitati spatium dedit.

Patrem Hosey in omni re perfectioni consequendae allaborasse eius epistulae et sermones demonstrabant, quae omnes generis ornati auram exhibebant. Maxime autem elucebant semper et ubique urbanitas atque affabilitas, quae ei etiam copiam amicorum comparabant. Quanti aestimaretur eluxit, cum ad eius funebria sacerdotes et laici tanto numero convenirent et hac occasione et sequentibus diebus imaguncularum memorialium 35 milia distribuerentur.

Cum die 25 Ian. exsequiae in ecclesia nostra Bostoniensi haberentur, vastum illud templum confertim repletum erat paroecianis et exteris amicis. Archiepiscopus Bostoniensis Exc.mus Dom. *Richardus Iacobus Cushing* vim sibi intulit, ut infirmitatem, qua tunc laborabat, spernens e lecto surgeret et Missae de Requie assisteret, quam cantavit Episcopus Redemptorista, Exc.mus Dom. *Aloisius Willinger*, Ordinarius dioeceseos Monterey-Fresno. Praeterea aderant Praesules dioecesium Rochester et Rapid City, posterior confrater noster *Thomas McCarty*.

In oratione funebri P. Mc Cauley inter alia defuncto haec pia memoriae encomia tribuit: « P. Hosey diligentissimus atque accuratissimus erat in ipsius vita orationis et in quacumque re, quae ad servitium Dei pertinebat. Nunquam contentus erat iis solutionibus, quae solum satis bene vel paene optimae erant.

(1) Vide *Analecta* XVII (1938), 22 s.

(2) Vide *Anal.* XXV (1953), p. 92 ss.

Quaecumque fecit aut dixit, limatae excellentiae specimina exhibebant. Perfectionis studium constans Patris Hosey insigne erat ». Confidimus talem virum, licet improvise ex hac vita devocatum, gloriose coronatum esse ab eo, « *cuius est totum quod est optimum* » (Oratio Dom. VI post. Pent.).

Cf. *C.SS.R. Cronicle*, vol. 7 (1954), p. 44.

H. N.

---